Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26172
Copyright: Admont, Benediktinerstift

hominis corruptibilis. Hieremias quoque: populus inquit meus gloriam [mutauit]
suam in idolum. Qui error licet origine hac quam diximus
quorundam sensibus sit inolitus, nichilominus tamen in illos
quoque animus qui nunquam gentili supersticione polluti sunt sub
colore testimonii huius quo dicitur: faciamus hominem ad ima
ginem et similitudinem nostram. inpericia seu rusticitate
faciente contractus est, ita ut etiam heresis que dicitur antropomorphitarum
sub occasione detestande huius interpretacionis emerserit,
que inmensam illam ac simplicem diuinitatis substantiam linia
mentis nostris et humana figuracione compositam, pertinaci prauita
te contendit. Quam tamen si quis fuerit catholicis dogmatibus
institutus, ut gentilium blasphemiam detestabitur. et ita ad illam
orationis purissimam perueniet qualitatem. que non solum nullam diui
nitatis effigiem, nec liniamenta corporea quod dictu quoque nefas
est in sua supplicatione miscebit, sed ne ullam quidem in se me
moriam dicti cuiusquam uel facti speciem seu formam cuiuslibet ca
racteris admittet. VI. Secundum mensuram namque puritatis sue
sicut superiore collatione prefati sumus unaquaque mens in oratione [uel erigitur]
conpungitur uel formatur. tantum scilicet a terrenarum ac materialium re
rum contemplatione discedens, quantum eam status sue prouexerit
puritatis, feceritque ihesum uel humilem adhuc et carneum uel glo
rificatum et in maiestatis sue gloria uenientem internis obtu
tibus anime prouideri. Non enim poterunt intueri ihesum uenientem in
regno suo, qui adhuc sub illa quodammodo iudaica infirmita
te detenti non queunt dicere cum apostolo: et si cognouimus secundum car
nem christum, sed nunc iam non nouimus. Sed illi soli purissimis oculis di
uinitatem eius speculantur qui de humilibus ac terrenis mite et cog [operibus et cogitationibus]
nationibus ascendentes cum illo secedunt in excelsum solitudinis
montem. qui liber ab omnium terrenarum cogitationum ac perturbati
onum tumultu et a cunctorum uiciorum permixtione secretus fide